

discipulus, & Tertullianus pro eâ vindicandâ strenuè pugnave-
rint.

§. 8.

Opponentem dicta Scripturæ Sacræ meridianô Sole clariora,
v. g. Num. 6, 24. Jes. 6, 3. Matth. 3, cap. 28. 1. Joh. 5. infinitis obtun-
dunt exceptionibus singuli. Ternam nominis יהוה ut & San-
cti repetitionem in benedictione solenni, nec non visione Pro-
pheticâ, eô tantùm, ajunt, fieri modô, quô vulgò omne trinum
habetur pro perfectô, ad notandam absolutissimam Numinis ex-
cellentiam: Sophisticam autem refellit explicationem; impri-
mis quoad Jes. 6. Nov. Test. ceu clavis optimusq; interpres V.
magnificum istud spectaculum mox ad CHRISTUM applicans, Jo-
han. 12, 41. mox ad Spiritum Sanctum, Actor. 28, 25. Pompam
CHRISTI Baptismalem, eundem distinctam quidem à Patre cœli-
tùs clamante esse Personam, at non divinam, neque filium nisi
adoptivum innuere, Sociniani ajunt, columbam merum fuisse
symbolum virtutis DEI super CHRISTUM effusæ, nequaquam
Spiritûs Sancti tânquam propriæ *ἁγιωσύνης* larvam aut imagi-
nem. Cùm hoc ipsum orthodoxæ olim Ecclesiæ quasi Achilleus
esset clypeus, quem objicere solebant adversariis istâ animo-
sâ acclamatione; Abi vane Arriane, & videbis in Jordane San-
ctam Trinitatem planè. Quoad ritum Baptismi nostri, quô
Salvator undâ tingi vel aspergi jussit homines, in nomine Pa-
tris, Filii & Spiritûs Sancti, negant præcisè seqvi, verùm esse
DEUM, in cujus nomen quispiam baptizetur: instantiam pe-
tentes ex 1. Corinth. 10, 2. ubi Israëlitæ in Mosen baptizati dicun-
tur; quô ipsô tamen frivolè confundunt baptismum proprium,
videlicet Sacramentum remissionis peccatorum & salutis con-
ferendæ gratiâ institutum, cum metaphoricò, quatenùs dedu-
ctio per mare rubrum nube præeunte quondam fuit typus e-
jusdem; porrò subjiciunt, sæpiùs in Scripturis res, quæ non
sunt DEUS, cum vero DEO conjungi, Actor. 20, 32. Ephes. 6, 10.
Phil. 3, 10. haud discernentes ea, quæ æqualiter & quæ instru-
menta-

menta-